Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1365

Quelle:
Copyright:

&c. et *Date ei de fructu* &c. ut adeo ex eo longe perfectior Editio inſtaurari poſſet. Id quod et de ſequenti dicendum.

III. *fol.* 92. p. 2. absque Titulo *Interrogationes in Eccleſiaſten* pariter *Honorio* adtributae et T. XX. *ſuprac.* p. 1148. impreſſae. Atque has *Codex* a Quaeſtionibus illis iſagogicis ſupra memoratis: *Quot nominibus vocatus eſt ſalomon?* &c. auſpicatur, quae rectius in Impreſſis ante *Parabolas* collocatae ſunt, cum in omnia tria *Salomonis* Opera introducant, ut legenti patebit. Ceterum et hic plenior eſt Impreſſis, utque nil temere adferam, mox C. I. deeſt in iis Interr. *Quare dedit ſalomon cor ſuum. hoc eſt. ſollicito corde ſtuduit ſcire prudentiam* &c. C. II. deeſt Interr. *Quid eſt quod ait. uidi in omnibus uanitatem et afflictionem animi* &c. Ut vero etiam nil diſſimulem, ignorat *Codex Peroratione* illam, quam Impreſſa p. 1153. *Eccleſiaſti* ſubjungunt. Quanquam non huic, ſed *Parabolis* ſubjungi debebat.

IV. *fol.* 110. *De evangelio Sancti Johannis.* Interrogata et Reſponſa eadem plane ratione, ut in praecedentes V. T. Libros, ideoque ejusdem verisimiliter Autoris, qui ſi *Honorius Auguſtodun.* ſit, en partum ejus omnibus, qui viri Scripta enumerarunt hactenus, ignotum! Niſi dicas, eum innui per *Evangelia, quæ beatus Gregorius non expoſuit*, quae cenſentur inter ejus Opera in Lib. *de Luminarib. Eccl.* c. 17. quaeque *Trithemius* L. 1. *in Evangelia homiliarum* vocat et *Fabricius Bibl. med. lat.* L. VIII. p. 279. nusquam extare dicit. Quae tamen compellationes quomodo Quaeſtionibus noſtris e ſingulis Evangelii *Joh.* Capitibus delibatis congruant, non ſat video; etenim *Gregorii* etiam in *Johannem* Homilias habemus. Certiora itaque de Autore ex aliis Codicibus in lucem proferundis expectanda ſunt. Interim της κατηχεσεως noſtrae *Johanneae* iſtud eſt initium: *Quare Beatus Johannes Evangeliſta Dilectus Domini vocatur Diſcipulus?* ℟. *Quia multum dilexit eum dominus.* Interr. *Nunquid non et alios dilexit apoſtolos?* ℟. *Omnes quippe dilexit dominus. ſicut ipſe dicit. hoc eſt preceptum meum* &c. *Et item. Sicut dilexit me pater* &c. Interr. *Si omnes dilexit apoſtolos. cur ergo iohannes ſolus appellatur dilectus?* ℟. *Quia pre omnibus quos amauit illum ſpecialiter dilexit.* Interr. *Cur illum dominus ſpecialiter diligere uoluit?* ℟. *Quia ſicut fertur eundem uolentem nubere de nuptiis uirginem uocauit. Et quia illum a carnalis coniunctionis copula retraxit. idcirco eum maiori ſue dilectionis priuilegio donauit.* Atque ſic multa de Vita, Evangelio et Symbolo *Johannis*, dum tandem ad ipſum Textum perveniatur hac Interr. *Quomodo hereticorum deſtruxit errorem?* ℟. *Fuerunt enim quidam heretici qui dicebant. ſi natus eſt chriſtus ergo erat tempus quando ipſe non erat. Hos primo ſermo-*